



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De
Contractibus


Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDCCXXXIII.

VD18 90392159

Q. 1. Quid est Justitia, prout est Virtus specialis?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40993



TRACTATUS

DE

JUSTITIA, ET JURE,
ET INJURIIS, ET RESTI-
TUTIONE.

PARS PRIMA.

De Justitia, & Jure.

CAPUT I.

De Justitia.

Nota. Justitia sumitur 1. Pro gratia san-
ctificante, quam qui habet, dicitur ju-
stus. 2. Pro complexione omnium
virtutum, seu virtute generali. 3. Pro specia-
li virtute morali, ut hinc.

*Q. I. Quid est Justitia, prout est Virtus
specialis?*

*Resp. Est virtus moralis perficiens, & in-
cli.*

D 3

clinans voluntatem ad constanter, ac perpetuò
 tribuendum unicuique jus suum, id est, quid-
 quid ei debitum est ex Jure. Nam Jus hic su-
 mitur non pro jure formali, quod est facultas
 legitima ad aliquid, sed pro jure objetivo,
 seu objecto illius facultatis, nempe pro debito
 ex jure, seu debito rigoroso. Duplex quippe
 est debitum; unum simplicis honestatis, &
 est illud, cujus violatione contrahitur solum
 turpitude moralis: tale est debitum gratitu-
 dinis. Aliud est debitum ex jure, seu debitum
 rigorosum, de quo solo hic agitur, & est illud,
 quod si non redditur, contrahitur non solum
 turpitude moralis, sed etiam obligatio resti-
 tuendi, vel satisfaciendi, vel subeundi pœnam,
 quæ exigì possit ab eo, cui illud debetur. Ju-
 stitia autem versatur circa hoc debitum rig-
 orosum. Unde ejus objectum materiale est
 redditio debiti rigorosi: formale verò est spe-
 cialis honestas hujus redditionis.

Q. 2. Quomodo dividitur Justitia?

Resp. Dividitur in legalem, commutativam,
 distributivam, & vindicativam.

Justitia legalis est virtus inclinans ad tribu-
 endum communitati, seu Reip. debitum, ut
 debitum communitati propter bonum com-
 mune, sive ad præstanda ea omnia, quæ com-
 munitati debita sunt in ordine ad bonum com-
 mune. Dicitur legalis quia habet pro objecto
 id, quod debetur communitati ratione legum;

voca-